



habendam. Reposito S. Evangelii codice, em.mus card. P. D. Eugenius Tisserant recitavit preces *Agimus...*, *Angelus...*, et congregatio hora 12,19 finita est.

## LXVIII

Congregatio generalis sexagesima octava habita est die 15 novembris, feria VI, hora 9 matutina. Interfuerunt 2.123 Patres, nempe: 58 cardinales, 6 patriarchae, 9 primates, 362 archiepiscopi, 1.531 episcopi, 9 abbates nullius, 12 praelati nullius, 57 praefecti apostolici, 79 superiores generales.

Missae de Spiritu Sancto celebrata est, ritu romano, ab exc.mo P. D. Tullio Botero Salazar, arch. Medellensi. Chorus Cappellae Sixtinae executus est cantus: *Adoramus te Christe* (Ruffo), *Sanctus* (Victoria), *Benedictus* (Asola), *Domine non sum dignus* (Victoria).

Post Missam, exc.mus P. D. Pericles Felici, arch. tit. Samosatensis, Concilii secretarius generalis, intimavit: *Exeant omnes*, et S. Evangelii codex ab exc.mo P. D. Paulo Dalmais, arch. Arcis Lamy, super paratum thronum statutus est, dum chorus et Patres alternatim cantant *Christus vincit* cum Ps. 116.

Recitata prece *Adsumus...*, secretarius generalis proclamavit nomen em.mi card. moderatoris, P. D. Leonis Ioseph Suenens, arch. Mechliniensis-Bruxellensis, et legit nomina Patrum, qui adhuc super cap. III et super cap. IV schematis *de episcopis ac de dioecesium regimine* loqui petierant.

Ex ordine ad loquendum de cap. III a moderatore vocati sunt: em.mus card. P. D. Ioseph Lefebvre, arch. Bituricensis; exc.mi PP. DD. Ioannes Ferreira, praef. ap. Guineae Lusitanae, Elias Zoghby, arch. tit. Nubiae, Michael Ntuyahaga, ep. Usumburaensis.

De cap. IV ex ordine locuti sunt exc.mi PP. DD. Stephanus László, ep. Sideropolitanus et Ioannes Velasco, ep. Hsiamenensis.

Hora 10,28 secretarius generalis annuntiavit sequenti dominica Summum Pontificem translaturum esse reliquias Ss. Cyrilli et Methodii in Ecclesiam S. Clementis; vespere autem eundem Pontificem, in Basilica S. Petri, veneraturum esse novum Beatum Vincentium Romano.

Item communicavit distributum iri fasciculum modorum ad prooemium et cap. I *de S. Liturgia*, de quo suffragationem sequenti feria II agendam esse.

Prosecuta est disceptatio de cap. IV schematis *de episcopis ac de dioecesium regimine* et locuti sunt exc.mi PP. DD. Bernardus Stein, ep. tit. Dagnensis, Ioseph Urtasun, arch. Avenionensis, Dominicus Athaide, arch. Agraensis, Antonius Vuccino, arch. tit. Aprensis, Marcel-



lus Gonzalez, ep. Asturicensis, Robertus Massimiliani, ep. Civitatis Castellanae, Hortanus et Gallesinus, Radulfus Zambrano, ep. Facatativensis, Ferdinandus Romo Gutierrez, ep. Torreonensis, Alexander Scandar, ep. Lycopolitanus, Antonius Khoreiche, arch. Sidoniensis Maronitarum.

Interim Patribus distributus est fasciculus, cui titulus: *Schema de sacra Liturgia: Modi a Patribus Conciliaribus propositi, a commissione conciliari de sacra Liturgia examinati: Prooemium - Caput I*, Typis Polyglottis Vaticanis 1963.

Hora vero 11,45, cum omnes oratores quoad cap. IV schematis *de episcopis ac dioecesium regimine* locuti essent, em.mus card. P. D. Paulus Marella, praeses commissionis de episcopis et dioecesium regimine, verba conclusiva pronuntiavit.

Moderator indixit proximam congregationem sequenti feria II, hora 9, habendam, in qua disceptatum iri circa schema *de Oecumenismo* in genere. Reposito S. Evangelii codice, em.mus card. P. D. Eugenius Tisserant preces *Agimus...*, *Angelus...* recitavit, et congregatio hora 11,48 finita est.

## LXIX

Congregatio generalis sexagesima nona habita est die 18 novembris, feria II, hora 9 matutina. Interfuerunt 2.171 Patres, nempe: 63 cardinales, 7 patriarchae, 9 primates, 367 archiepiscopi, 1.560 episcopi, 10 abbates nullius, 12 praelati nullius, 57 praefecti apostolici, 86 superiores generales.

Missa de dedicatione Basilicarum Ss. Petri et Pauli celebrata est, ritu romano, ab exc.mo P. D. Pericle Felici, arch. tit. Samosatensi, Concilii secretario generali et S. Petri Basilicae vicario. Chorus Cappellae Sixtinae executus est cantus: *Caelestis urbs Ierusalem* (Bartolucci), *O salutaris hostia* (Perosi), *Panis angelicus* (Bartolucci).

Post Missam, secretarius generalis, intimavit: *Exeant omnes*, et inthronizatio S. Evangelii codicis facta est ab exc.mo P. D. Emmanuele Mabathoana, arch. Maserueno, dum chorus et Patres alternatim cantant *Christus vincit* et Ps. 116.

Recitata prece *Adsumus...*, secretarius generalis proclamavit nomen em.mi card. moderatoris, P. D. Gregorii Petri Agagianian, et annuntiavit distributum iri relationem super schema decreti *de Oecumenismo*; emendationes super idem schema; libellum de traditione Petri in Vaticano iuxta historiam et archeologiam.

Dein legit nomina Patrum, qui loqui postulaverant. Tunc em.mus card. Lercaro, arch. Bononiensis, legit relationem generalem de iis quae